

Coniectura

de pugna Marathonia, ad Herodoti VI, 94 - 117.  
et Corn. Nepotis Milt. 4. 5. proposita

---

AD

MEMORIAM

CAROLI GEHLERI

IN

GYMNASIO

DIE XI. DEC. MDCCXCIII.

CELEBRANDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

CHRISTIANVS AVGVSTVS SCHWARZE,

L. A. M. ET AVGVSTI GYMNASII GORLICENSIS CONRECTOR.

---

GORLICII,

EX OFFICINA FICKELSCHERERIANA.

Lit. Graec.

B.

1709, 24

*Varia de Herodoto*

Cum in hoc atrocissimo tristissimoque bello, quod pro imperio & libertate, diversis opinionibus, communi tamen ira omniumque virium contentione geritur, tam crebris, tamque miris interdum proeliorum certaminumque nuntiis propemodum obtundamur, ut partim legentibus taedium creent, partim indicato caeforum in primis numero haud raro omnem auctoribus fidem derogent: saepe mihi venit in mentem similibus miraculorum, quae de pluribus proeliis in veterum scriptis ita relata legimus, ut eandem hominum vanitatem aut credulitatem, eadem, quae nunc obtinent, partium studia, iam antiquissimis temporibus deprehendamus. 1) Ut igitur priscis illis repetendis animum paullulum a praesentibus malis auocaremus, & illustri quodam exemplo iuuenibus nostris, qua ratione talia iudicanda sint, monstraremus, de vna illa Marathonica pugna, ab Atticis in primis scriptoribus toties non modo decantata, sed ultra omnem etiam veri speciem exornata, hoc scripto publice proponendo paucis disserere visum est. Quamquam enim multi veterum ac recentiorum de incerta Graecorum fide, incredibili vanitate ac rerum suarum ostentatione in vniuersum monuerunt, 2) fueruntque adeo, qui, quae de Persicis bellis a Graecis narrantur, maximam partem fabulis constare defenderent: 3) tamen nemo mihi quidem adhuc innotuit, qui ex ipsis auctorum locis, quomodo ad Marathonem res vere gesta videatur, ut mihi nunc est propositum, ostendere conatus sit. Qua in re sic versabor, ut missis illis numerorum portentis, quibus imponere aliis oratores pariter atque historicos non puduit, 4) Herodoto tantum & Cornelio Nepote ducibus, quorum alter aetate fuit proximus, alter, quo auctore incertum, minimum Persici exercitus numerum attulit, breuem historiam huius proelii contexam, deinde collectis ex illa argumentis, quo modo mihi quidem de illo statuendum videatur, aperiam.

Darius igitur, Atheniensibus & ob Sardes eorum auxilio delatas iratus, & in eosdem a Pisistratidis, qui ad eum confugerant, incitatus, omnes simul Graecos in suam potestatem redacturus classe quingentarum aut sexcentarum nauium, quae & equos vehebant, comparata, Datim illi Artaphernemque praefecit, qui Athenas Eretriamque, eiusdem criminis reas, delerent, omnesque earum incolas in servitutem redactos in Asiam ad se abducerent. Hi, citate ad Euboeam appulsa, Eretriam, septimo die prodicione captam, incenderunt, ciues vniuersos in vincula coniecerunt. Inde Attica petita, Hippias, Pisistrati filius, copias Persarum, ducenta peditem, decem equitum millia, 5) in campum Marathonica deduxit, qui equitatu Persico videbatur opportunissimus, & ab urbe Athenarum circiter millia passuum decem

- 1) Romanorum nominatim bellorum scriptoribus ista iure vitio vertit *Beaufort* in opere de republica Romana T. I, 56. vers. Germ. quod clarissimo pugnae Marianae adversus Cimbrum in campis Raudiis exemplo nuper egregie illustravit Amicissimus *Antonius* in libro meis laudibus facile carente: *Geschichte der Teutschen Nation* Vol. I, p. 46 - 49. Scilicet in isto proelio Cimbrorum 120,000. caesi, 60,000. manus sibi intulisse, Romanorum, mirabile dictu! 300. cecidisse dicuntur.
- 2) Collectos veterum maxime locos huc pertinentes reperient tirones in *Perizonii Animadvers. historicis* p. 9. ed. Harles. & in *Richardsoni Comment. de linguis, litteris & moribus populorum orientalium* p. 58. sqq. vers. Germ. Facit huc etiam ex parte notissimus *Cicero* locus pro Flacco, c. 4. & *Graeca fides*, quae in proverbium abiit.
- 3) Sic *Penzelius*, V. Cl. in doctissimo libello de arte historica, p. 42. sqq. certam historiam a bello Peloponnesiaco demum incipere, eiusque principem auctorem Thucydidem esse, contendit. Cf. *Richardsoni*, l. I. p. 84. sqq. & *Schloezerus*, V. Jll. in libro: *Weltgeschichte nach ihren Haupttheilen &c.* T. II. p. 253. sqq. ed. I. qui tamen Graecis paulo videtur iniquior, certe non tam diligens, quam in aliis. Sic, ut fidem Graecorum eleuet, ad Marathonem Persarum 200,000. Atheniensium 192. cecidisse narrat, altero numero e *Justino*, altero ex *Herodoto* petito. Quin vnus *Herodotus* in utroque audiendus erat, qui Persarum tantum 6400. periisse prodidit. Similiter etiam in sequentibus Graecos cupidius damnasse videtur, quod alio forsitan tempore vberius ostendemus.
- 4) *Isocrates* in *Paneg.* c. 24. multas myriadas Persarum, *Plato* in *Menexeno* c. 10. *Gottlieb*. & *Lysias*, T. V. oratt. Reisk. p. 82. quinquaginta myriadas, *Plutarchus* in *Parall.* T. II, p. 305. B. Frsf. triginta myriadas habet, quicum faciunt *Pausanias*, IV, 25. p. 340. med. & *Val. Maximus* V, 3, ext. 3. Omnes post se relinquit *Justinus*, II, 9. qui Persas de sexcentis hominum millibus ducenta millia hoc proelio, sine naufragio, amisisse contendit, & sic sane iure adiicit, ita ibi pugnatum esse, ut hinc viros, inde pecudes putares.
- 5) *Herodotus* nusquam tradidit exercitus numerum. Tantum l. I, c. 95. exercitum pedestrem ingentem & bene instructum commemorat.

decem; 6) aberat. Athenienses de tanto tamque propinquo periculo certiores facti, decem ducibus creatis, quorum decimus fuit Miltiades, ad arcendam hostium vim eodem mox procurrerunt. Magna vero coorta inter duces contentio, aliis ob copiarum paucitatem proelium dissuadentibus, aliis, inque his maxime Miltiade, ad pugnam hortantibus, <sup>cum</sup> metuētes, ne qua magna seditio populi animos ad Persas inclinaret, quos & ipsos tardiores fore sperabant, si tam exiguae manus aduersus se audaciam animaduernerent. Vicit tandem Miltiadis sententia, cui ceteri duces cum illo sentientes imperium cesserunt. Quod et ille accipiebat, tamen suo demum die, quo penes ipsum ex ordine erat imperium, non expectata Lacedaemoniorum ope ob plenilunium dilata, exercitum, mille Plataeensium aduentu ad decem millia; 7) armatorum auctum, pugnandique cupidissimum, in aciem eduxit. Quam sub montis radicibus ita instruxit, ut arborum quidam tractus equitatum hostium impediret, frons vero Persarum aciem longitudine aequaret, 8) ordinibus tamen in medio paucioribus, in utroque cornu confertioribus collocatis. Erat autem inter utrumque exercitum spatium octo fere stadiorum; 9) interiectum; quod cursu superantes Graeci impetum in Persas nouam rem mirantes & insaniam censentes fecerunt grauissimum. Barbari contra perrupta media Atheniensium acie, fugientes persequiebantur, cum Graeci in utroque cornu vincentes celeriter se contraxerunt, caesisque qui aciem diruperant, tanta vi in ceteros se conuerterunt, ut alii perturbati se inuicem in paludem propinquam, prati speciem forte habentem, 10) detruderent, alii naues fuga peterent, e quibus septem in manus Atheniensium inciderunt. Ceciderant in proelio barbarorum circiter sex millia & quadringenti, Atheniensium vero centum duo & nonaginta, in his duces duo cum aliis multis & claris viris. 11) Barbari sic fugati cum reliqua classe, in quam praedam Eretriensem in insula Aegileia depositam, 12) ante receperant, Sunium hoc consilio circumuecti sunt, ut Athenienses in urbem redeuntē anteuerterent. Quod cum illi sensissent, relicta in loco proelii suorum parte, 13) ex templo ad urbem tuendam tanta celeritate properarunt, ut Persarum classem praeuerterent, quae, cum supra Phalereum portum aliquamdiu in ancoris constitisset, in Asiam rediit.

Eodem ergo die, 14) & pugna ista pugnata, & ingens ille exercitus cum equorum multitudine nauibus non modo impositus, sed etiam, recepta ante praeda Eretrienti, Sunium promontorium superasse & ad urbem appulisse, dicitur. Quod si vel maxime numerum copiarum a Nepote suppeditatum, coniectura e nauium numero facta, 14) ita minuamus, ut circiter quinquaginta hominum millia relinquantur, ne sic quidem diligentius omnia ponderantibus ista veri speciem habitura arbitror, praesertim cum a loco pugnae usque ad portum Phalereum cursus maritimus plus XX. miliarium Germanicorum, partim aquilone, partim austro, esset

6) Stadia LXXXf. duo miliaria Germanica, non, ut vulgo dicunt, duo cum dimidio. Cf. *Mannert's Geographie der Griechen u. Römer*, T. I, p. 196. sq. *Barthelemy* in aureo opere: *Voyage du jeune Anacharsis*, T. I, p. 171. ed. Paris 1789. 8. quo auctore, nescio, stadia CXL. habet.

7) Et hic apud Herodotum numerum frustra quaeras.

8) Est omnino ista planities, stadiorum circiter CC. in circuitu, in longitudinem protracta & arctior, ab altera parte mari, ab altera montibus cincta. Quare, teste Cornelio, Dati locus non aequus visus, quippe qui ordines ibi suos satis explicare non poterat. De regionis natura Cf. *Barthelemy* l. I. & *Candler* in libro: *Reisen in Griechenland* p. 231. sqq.

9) Etiam *Justinus* l. I. mille passus habet, adeoque quintam miliaris Germanici partem, quod nimium videtur ob sequentia. Neque tamen statim de minoribus stadiis cogitandum, cum de iis nondum liqueat. Cf. *Mannert*, l. I. p. 200 sqq. Latet forte in numero vitium.

10) De hac palude, etiam in tabula illa expressa, quae in porticu Poecile in memoriam huius pugnae picta visebatur, lege *Pausaniam* I, 15, p. 39. & 31, p. 80. Nunc quoque coenosus ille lacus tam fallacem speciem offert, teste *Candler*, l. I. p. 231. sq.

11) *Herodotus*, l. I. 117. & 114.

12) *Idem* c. 107.

13) *Plutarchus* in *Aristide* T. I. p. 321. C. disertè habet *αὐθιμῆρον*, hoc ipso die. Erat autem dies XXIX. Sept. a. 490. ante Christum, adeoque non e longioribus diebus. Cf. *Barthelemy* l. I. p. 178. & quem ibi laudat *Corfinium* in *Fastis Atticis*, T. III. p. 149. Insignem rei gestae celeritatem etiam celebrat *Isocrates* in *Paneg.* loco indicato.

14) Erat classis quingentarum, ad summum, Herodoto auctore, sexcentarum nauium, in his multae minores, quarum septem, littori admotae, ab Atheniensibus captae, ut onerarias taceam hoc numero haud dubie comprehensas, & ultra dimidium classis forte explentes. Et quamquam isto tempore interdum vna naui longa non plus quam duodeuiginti aut viginti milites pugnasse reperimus (*Plut.* in *Themist.* l, 119. B.): de

conficiendus. Neque credibile mihi videtur, Hippiam, istius regionis peritissimum, ab hac potissimum parte Athenas ipsas aggredi constituisse, cum quae Marathonem Athenas ducit via complurium montium iugis septa & coarctata sit, 15) & montosa omnis Attica. Quae cum ita sint, proxime mihi ad verum accedere visa sententia, qua statuamus, Hippiam cum Persis dolo quodam bellico ad Marathonem castra posuisse, ut copias Atheniensium eo ab urbe auocarent, & dum cum his pugnaretur, cum maxima classis parte urbem ipsam opprimerent; aut eos forte in hoc consilium incidisse arbitremur, cum, ob ducum disensum, Athenienses in proelium prodire plures dies cunctarentur. Qua coniectura probata, omne rei miraculum, si quid video, tollitur. Neque enim tum totus Persarum exercitus in acie steterisset, sed minor eius pars, 16) Atheniensium tamen copiis, quas Hippias probe nouerat, major; neque porro omnis illa hostium multitudo, eaque, quod difficillimum esse constat, cum equorum millibus, horae prope momento, sexcentis nauibus esset imposita, sed maxima pars copiarum hoc ipso, quo pugnabatur ad Marathonem, temporis cursu classe ad urbem tenuisset. Prudentia vero & vigilantia Atheniensium istum dolum subodorantium effecit, ut ausis Persae exciderent, qui abjecta urbis capiendae spe, appropinquante iam hieme, aliisque forte causis nunc latentibus moti, cum omni praeda cunctisque captiuis Eretriensibus in Asiam se receperunt.

Qua nostra interpretatione si quibusdam fortassis de celeberrimae istius victoriae laude nimis detrahere videamur, olim iam fuisse sciant, quos sequamur. 17) Plutarchus enim de inuidis quibusdam conqueritur & rem istam traducentibus, qui barbaros ibi leuem tantum offensionem & exiguum incommodum (*πρόσχροσμα βραχύ*) accepisse contenderint. Quid? quod ipsi Athenienses Persarum copias non videntur tam ingentes putasse, si quidem, quot hostes interfecissent, totidem boves aut capras Dianae se inamolatuos vouerunt, cui postea, cum tantus caprarum numerus non reperiretur, quotannis trecentas aut quingentas obtulisse dicuntur. 18) Manet tamen ad Marathonem fortissime pugnantis iusta quaedam laus & gloria, ab Herodoto iam illis tributa, 19) quod primi omnium Graecorum Persas, quibus nec numero, nec equitatu, erant pares, quosque alii ante in acie adspicere non ausi erant, currentes aggressi sunt & fugarunt. Neque minus Herodoto fides & auctoritas, a viris doctis iam toties illi vindicata, & hic constat, qui tantum abfuerit a portentosa rei exornatione, ut nullum vtriusque exercitus attulerit numerum, totque tantum ex utraque parte caesos dixerit, ut, si praesertim 192, Atheniensibus servos & Plataeenses ibidem interfectos, & altero quodam tumulo in campo Marathonio sepultos, 20) adiicias, ac Miltiadis artes, Graecorum pro aris & focis & pro dulcissima libertate pugnantium ardorem ac constantiam, fugientium denique barbarorum in palude errorem cogites, nihil habeas, cur eius narrationem voces in dubium aut reprehendas.

Quod reliquum est, *Senatum Amplissimum, Sacrorum Ministros Summe Venerandos, Collegas Conjunctissimos, ceterosque scholae nostrae Fautores Maxime Colendos* observantissime oro rogoque, ut solennibus memoriae *b. Caroli Gehleri* sacris castino die frequentes & beneuoli interesse velint. Recitata a me oratione duo ciues inferiorum primae classis ordinum in primis nobis probati

Daniel Henricus Neumann, Gorlic,

et

Christianus Traugott Lange, Gorlic.

declamandi facient periculum. Gorlicii, d. X. Dec. MDCCXCIII.

mus tamen singulis centum. Sic conficiuntur 60,000. barbarorum, exercitus a paruis Graeciae gentibus non contemnendus.

15) Legant harum rerum studiosi. *Chandlerum* l. I. c. 34. 35. toto.

16) Hinc iam patet, cur, teste Nepote, Datis vtile sit arbitratus dimicare, priusquam Lacedaemonii subsidio venirent, quod ridiculum paene esset, si ingentem ibi pugnasse credas Persarum exercitum.

17) *De Herodoti malignitate*, T. II, p. 862. D.

18) Vide de hoc voto *Xenophontis Anabasin* III, 2, 7. *Aeliani V. H.* II, 25, & ibi interpp. Quo vero iure *Plutarchus* l. I. Herodotum idem narrasse affirmet, in quo iam nullum eius rei extat vestigium, viderint me doctiores.

19) c. 112. Cf. praeterea *Meiners Geschichte der Wissenschaften* T. II, 102. 199,

20) *Pausan.* I, 32, p. 79.